

**2002-09-10 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Ipso Instante’****IOANNES PAULUS PP. II**

***EPISTULA DATA  
DARIO S.R.E. CARD. CASTILLÓN HOYOS  
CONGREGATIONIS PRO CLERICIS PRAEFECTO  
AC PONTIFICIAE COMMISSIONIS  
"ECCLESIA DEI" PRAESIDI***

*Venerabili Fratri Nostro  
Dario S.R.E. Card. Castrillón Hoyos  
Congregationis pro Clericis Praefecto  
ac Pontificiae Commissionis "Ecclesia Dei" Presidi*

Ipso instantे mense, beatissimae Virginis Mariae Rosario dicato, quinquagesimam anniversariam memoriam suscepti sacerdotii feliciter recoles. Nos igitur, Venerabilis Frater Noster, hanc nanciscimur occasionem ut tecum coniuncti cumque necessariis tuis de hoc vitae tuae eventu nec non de ministerii tui cursu Domino gratias agamus. Copia quoque tibi dabitur vehementer laetandi et Nobis ideo studiose gratulandi, cum die XXVI proximi mensis Octobris memorabitur ipsum sacerdotii tui natale ac proinde diuturni ministerii tui frugiferum curriculum.

Eadem itaque fraternali animi affectione, qua te libenter ac iugiter prosecuti sumus, laetabiles Nostras voces ad te pervehi volumus, unde participes communis primordiorum presbyteratus tui celebrationis plane reddamur.

Absque dubio recolere te iuvat hac in Urbe, apud Basilicam Sanctorum Apostolorum, anno MCMLII sacro presbyteratus oleo unctum esse. Deinde variis inibi expletis studiis, doctoris titulo in iure canonico exornatus, in patriam regressus es, ubi ad varia sacra munia implenda viribus non pepercisti. Auctoritas quoque tua magni est habita praesertim apud Columbiae Episcoporum Conferentiam, cuius ipsius Secretarius Generalis es nominatus.

Peculiaribus dotibus tuis perpensis, Decessor Noster Paulus VI anno MCMLXXI Episcoporum Collegio te adiunxit sacerorumque Antistiti Sedis Pereiranae Coadiutorem dedit, quam pleno iure assumpsisti quinque post annos. Delegatus a Coetu Episcoporum Columbiae frugiferas habuisti partes in urbibus Puebla et Medellin apud Conferentiam Episcoporum Latino-Americanam.

Eiusdem Conferentiae Secretarius Generalis electus, annos MCMLXXXIII-MCMLXXXVII laudabiliter hoc functus es munere, ac postea usque ad annum MCMXCI Praeses eandem rexisti. Insequenti anno Nosmet Ipsi Archiepiscopum, te eveximus ad Metropolitanam Sedem Bucaramangensem. Anno MCMXCVI ad hanc Apostolicam Sedem vocatus es, nunc munus laudabiliter exerces Praefecti Congregationis pro Clericis et Praesidis Pontificiae Commissionis "Ecclesia Dei" nuncupatae, ac simul operam navas variis in Dicasteriis huius Apostolicae Sedis.

Haec multiplicita munera et officia conficiens, specimen semper dedisti solidae pietatis sacerdotalis, assidue actuositatis apostolicae atque sollertiae in Domini vinea administranda.

Rationes itaque non desunt cur tu quidem plurimum gaudeas Nosque una tecum iustas benignissimo Domino gratias agamus.

Caelestium demum munerum pignus benevolentiaeque Nostrae testis, Apostolica Nostra Benedictio te iugiter comitetur; quam etiam ad officiales in Congregatione cui praees, nec non ad singulos tuos quos diligis quique te diligunt pertinere cupimus.

*Ex Aedibus Vaticanis, die X mensis Septembris, anno MMII, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.*

**IOANNES PAULUS PP. II**